

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Perseuerancia c
cum fontibus primis

Absque perseuerancia nec qui pugnat
uictoriam, nec palmam uictor
consequitur.

Nutrix est ad meritum, mediatrix ad
premium, soror paciencie,
constancie filia, amica pacis,
amiciciarum nodus, unanimitatis
uinculum, sanctitatis propugnaculum.
Tolle perseueranciam nec obsequium
mercedem habet, nec beneficium
graciam, nec laudem fortitudo.

Sola est cui eternitas redditur, uel potius
que eternitati hominem reddit, dicente
Domino: Qui perseuerauerit usque in
finem
et cetera.

Bernardus epistola CXXIX.

Prorsus
absque perseverantia nec qui pugnat
victoriam, nec palmam victor
consequitur.

Vigor virium, virtutum consummatio est;
nutrix ad meritum, mediatrix ad
praemium. Soror est paciencie,
constantiae filia, amica pacis,
amiciciarum nodus, unanimitatis
vinculum, propugnaculum sanctitatis.
Tolle perseverantiam, nec obsequium
mercedem habet, nec beneficium
gratiam, nec laudem fortitudo.

Bernardus Claraeuallensis, *Epistolae*,
129, 2 (SBO 7, J. Leclercq, C.H. Talbot,
H.M. Rochais eds., p.323, ll.11-16).

Denique
sola est cui aeternitas redditur, vel potius
quae aeternitati hominem reddit, dicente
Domino: QUI PERSEVERAVERIT USQUE IN
FINEM,
HIC SALVUS ERIT (Mat. 10:22).

Bernardus Claraeuallensis, *Liber de*
consideratione, 5, 31 (SBO 3, J.
Leclercq, C.H. Talbot, H.M. Rochais
eds., p.493, ll.2-4).